

Wf
430



Q. 32

N

D



D. 32, 26.

Wf
430

25.

AD
SERENISSIMAM PRINCIPEM,
MAGDALENAM
SIBYLLAM SAXO.

NICAM:
DIVI CHRISTIANI V.

DANIARUM ELECTI;
NORVAGIARUM HÆREDITARII
PRINCIPIS ETC.

VIDUAM,

CUM PROPECTURA DRES DAM CONFICIENDIS SE-
CUNDARUM NUPTIARUM SOLENNIBUS
WITTENBERGAM INGREDERETUR,

AUGUSTI BUCHNERI
ADVENTITIUM.



Wittebergæ Ex Officinâ Johannis Röhneri, Acad. Typogr.
ANNO MDC LII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
GENLE



148, 1. 10.

148, 1. 10.

148

SEBASTIAN PRINCE
 MAGDALENA
 SYBILAM SAZO
 NIGEM
 DUM CHRISTIAN V
 DA
 CHRISTIAN V
 DA
 CHRISTIAN V
 DA

148
 148
 148



HXere flumineis sacrum cæput exere ab antris,
Et quantus, Pater Albi, late emerge, virenti
Canitie lætus; nec tantum algamq; recentem,
Et virides juncos lata inter cornua necte;
Sed quicquid gemmarum, & fulvi interluis auri;

Cæruleis prætende comis. fluat aurea circum.
Carbasus & blandâ Zephyrorum crispet ab aurâ.
Centum unâ emergant formoso è gurgite Nymphæ
Pulchræ omnes, pictisq; incinctæ vestibus omnes,
Et lepidas plaudant choreas, & carmina dicant,
Carmina, quæ geminæ responsent undique ripæ.

Acceptum, & thalamis junctum regalibus olim
Saxonæ decus, ecce, tuæ tibi Cimbrica Tethys,
Sed lacrimis respergenuas, nec sponte, remittit:
Ut quibus infelix, ah, est orbata, nepotes
Saxonibus det nexa tuis, & stirpe potenti
Augeat, ensiferam tot fusam in germina rutam.

Talis ab Eoo rediens vaga Cynthia Gange,
Prima nocte micat, totoque illustrior orbe
Candentes agitat bigas, & sidera ducit.

Talis mane novo, jam decedentibus astris,
Purpureas Matuta fores, & plena rosarum
Atria, dejectis aperit rubicunda tenebris.

Huc ades, ô, centumq; preces, centum, unica, vota
Confice, & ingenti totidem nova gaudia porta,
Totque alia expromitte Patri. Vicecuncta reguntur
Quæ rerum natura creat, vice vertitur annus;
Aspera nec semper tellus Aquilonibus horret;
Sed steriles fœcundi hiemes hora aurea veris
Excipit, & blandiredeunt postfrigora soles.

Ecce, tibi toto descendunt Aone Musæ,
Et flores &serta legunt, plaususque canoros
Ingeminant: venit ipse Pater Hymenejus unâ,
Incinctus myrti folijs, & veste decorâ
Flammeus, astra inter qualis medioque Deorum,
Concilio residet fulgens. Ille aurea vincla,
Molitur tibi Diva, & faustâ ex arbore lectas
Inspicat, cæditque faces, quæ fœdera jungant,
Solennemque toris præeant coëuntibus ignem.

O si primævo starent mihi sanguine venæ,
Nec gravibus defessa annis torpesceret ætas;
Aut instaurato recalerent corpore vires,
Sufficeretque os magna loqui, nec dispare flatu
Mæonias animare tubas; quæ carmina, Diva,
Ingrederer, quas & tibi pangere, maxima, laudes?
Nam Witikindeos proceres, ingentia sceptrâ,
FRIDRICUMQUE; tuum canerem; cui Martia virtus,
Atque animi vigor indomitus, tot quem aspera rerum,
Non unquam fregere, nec ab blandita secundis
Inflexit fortuna potens, memorabile nomen.
Addidit, atque aliud summo in discrimine mater,
Cum fugeret, mentem percussa ac faucia amore,
Ore premens iterum atque iterum, supremaque; libans
Oscula, defixit, magni solatia casus
Hæc secum proh sola ferens, monumentaque; linquens.
ALBERTUM canerem ærisonum, quem Marte ruentem,
Invicto tremuere Getæ: quem Belgica latè
Incedentem armis tellus, Phrysiq; feroces
Imposito sensere jugo haud impune rebelles:
ERRICIQUE ingentem animum, veroque dicatum,

Cæle-

Cœlesti vero: neque enim illum aut purpura fulgens,
Magnarum aut congestus opum decepit hiantem,
Hærentemvé Deo diduxit imagine falsâ.
MAURITIUM celebrarem, utque idem invictus ab armis.
Ac belli virtute potens, tot perculit hostes
Fulmineus, clari figens monumenta triumphî;
Utque idem doctis statuit sacraria Musis,
Errantesq; domum ac trepidas revocaverit artes,
Pace bonus. Neque te Divine AUGUSTE filerem,
Magnanimum aut natum AUGUSTI. Super omnia Patris
Tot meritis illustre caput, tot casibus aspris
Indomitum, ac vigiles curas, ac resq; labores,
Non molli veherem cantu, seclisq; futuris
Discenda, & toto, quantum est, depangerem in ævo.
Ut non imber edax, non sævi fulminis ala;
Non, cunctis licet incumbat, mare delet, undis.
Sed dotes tamen in primis, quibus undique fulges,
Diva, tuas, & tot magnarum encomia laudum
Egregiis ferrem numeris. ut pectore in imo
Intemerata Fides, nec non Constantia certum
Sacrarit sibi tuta larem, templumque dicârît
Dulce Pudor, magniq; Amor incorruptus honesti.
Cantarem te, Diva, nulum pariterque maritum
Regis, & Arctoi sceptri tibi debitum honorem,
Quâ mare Codanum, quâ Belthica murmurat unda,
Et variis dives populis se Dania spargit
Undique fusa & cincta mari fluctuq; sonanti,
Si fas tam durum per fata avertere luctum.
Verum has ne possim tantas accedere laudes,
Arduus, & niveo succinctus crura cothurno,

B

Tarda

ele-

Tarda ætas, frigusq; obstat, quo venâ rigescit,
Arida, & in nullos rapiuntur pectora motus.

I, multum expectata Patri, multisq; petita,
Magnanimo votis Sponso: quem Martia laurus
Circumambit victrix comâ; quem mitis olivæ
Blandior ornat honos, & multâ laude celebrat,
Bisgeminam nectens permixta fronde coronam.

Ecce tibi lato tormenta ingentia vallo
Ex solido formata ære & volucris igne referta,
(Non cladem horrificam ut portentis murisq; virisque;
Sed læto quæ testentur tua festa fragore.)
Gradivus disponit, & ære micantia circum,
Arma locat, jam venturæ, quæ regia Dresda,
Turritum tollit caput, & nitida astra lacessit,
Plus radians splendore tuo, te conscia nata,
Te natâ, mox & nuptâ thalamisq; jugatâ,
Diva, novis (hos fata beent, hos prosperet æther.!)
At picturatas vestes auroq; micantes
Induitur tibi Pompa, atque omnes jactat honores,
Ornatosq;, ascendite quos, jamq; agmine longo
Tendit in occursum: procedit læta juvenus
Ordine, succedunt proceres: cava tympana latè
Pulsa tonant, resonatq; tubæ clangoribus æther.
In medio, qui te ante omnes ardetque petitque,
Immensò fidum pectus devinctus amore,
Ingreditur dives cultu, phalerisque decori
Alipedis terga alta premit, cui Cyllarus ultrò,
Et formâ ac virtute minor concedat Arion.
At fratrum decora alta, velut tot sidera, euntem
Deducunt: qualis fido cum Castore Pollux

Sese

Sese infert sublimis, & ore omne explicat astrum.
Candidus, auratasque manu constringit habenas.

I, fatis accede tuis! Chorus omnis euntem.
Deducet Geniorum, & mille exercitus alis
Flammatus juxta incedens vallabit, & omnes
Avertet procul exagitans dira omina, pestes,
Et lætum præstabit iter: tibi dura silebunt
Flamina, soliusque interstrepet aura Favoni,
Ut quacunq; rotas flectes, candentia passim
Liliaque violæque & purpura grata rosarum.
Pingat humum, flavique erumpant pocula mellis.

Interea magni proles certissima olympi,
Atque astris cognatus Amor, cui sidera blandis
Nexibus, & tacito conspirat fœdere mundus
Seque inter pars omnis amat, blandeq; tuetur,
Urget opus, ceptisq; instat, seque ipse fatigat,
Accenditq; faces centum, centum explicat ignes:
Tum lectum media genialem sternit in aula,
Admirabile opus, pictisque tapetibus ornat.
Hos Phrygiæ nevere manus, ditavit Hydaspes
Gemmifer, extremi donarunt vellere Seres.
At rerum natura parens, quo principe surgunt
Omnia, & occultis sumunt exordia causis,
Desuper arcano redolentes nectare succos
Irrigat, & liquidum ambrosiæ diffundit odorem:
Quem penes, annorum tristes avertere morlus,
Parcarumq; nefas; lætumque afferre juventæ
Perpetuæ florem, qui duræ fata senectæ
Arceat, & longum donet nubentibus ævum.
Nec mora, sese intra penitus secedit, & omnes

747 430 A

Verfat opes, versat secum, quas calleat, artes,
Et fingit connixa genus, te, Diva, parenre
Quod subeat lucem. Minimum, est, quod terra ministrat;
Plus astris cœloq; trahit. : sciteq; remiscens
Magnanimos creat Heroas, creat æmula matri
Sidera, formosos quibus Hesperus occulat ignes,
Gaudet & solis contendi argentea Phœbe.

Sic eat. : illorum stupeat virtutibus orbis:
Has magni exoptent in fœdera ducere Reges:
At tua non ullis moriatur gloria seclis.



Verfat

P. 3

m

Pon Wf 430, FK

ULB Halle 3
003 917 924



f

VD17





Ecce, tibi tor
 Et flores &serta le
 Ingeminant: ver
 Incinctus myrti fo
 Flammæus, astra in
 Concilio residet f
 Molitur tibi Diva
 Inspicat, cædit qu
 Solennemque ton
 O si primævo
 Nec gravibus defe
 Aut instaurato re
 Sufficeretque os
 Mæonias animar
 Ingrederer, quas
 Nam Witikinde
 FRIDRICUMQ; tuun
 Atque animi vige
 Non unquam freq
 Inflexit fortuna p
 Addidit, atque al
 Cùm fugeret, me
 Ore premens iter
 Oscula, defixit, r
 Hæc secum proh
 ALBERTUM canere
 In victo tremuere
 Incedentem arm
 Imposito sensere
 ERRICIQUE ingen



Cœle-

